

1431 stabat, auspicaretur, circumspicere res suas, atque in omnes partes intentus esse, ne qua in se occultiore via hostis grassaretur. Et quum in id unum omnem curam intendisset, comperit factam esse Carmaniola spem Laudensis arcis occupandæ. Proditione itaque matura celeritate oppressa, constituit Philippus experiri, an & ipse hostis suis artibus capi posset. Cum Sonciniæ arcis præfecto occulte agit, ut spem Veneto Imperatori faceret, si certam secum pactus esset mercedem, fore ut munitissimum locum cum præsidio ei traderet. Ille conditionem non aspernatus, grandem paciscitur pecuniam, tempus constituit, quo cum copiis se adesse oporteret. Edoctus Philippus de his quæ acta erant, Sforciam & Tollentinatem, quam occultius possent, eo cum parte copiarum ire jubet, vias & loca omnia occupare, insidiasque Carmaniola venienti quam accuratissime struere, ut cum omnibus qui illum secuti essent, si fieri posset, infestissimum hostem opprimerent. Affuit ad diem, uti convenerat, Carmaniola: ac præmissis, qui arcem occuparent, ipse urbi propinquus, haud omnino proditori credens, cum reliquis copiis substitit. Jam qui præmissi erant, in partem arcis admissi, in hostium potestatem venerant: quum repente, ex summa turri clamore sublato, præfetus, quam alta potest voce, significat (Carmaniolam identidem appellans) *Sed non Philippi proditorem esse, sed hostis illusorem;* ac cum his Sforcia & Tollentinas a tergo a fronte a lateribus ex insidiis coorti, ingentem Veneto injiciunt terrorem. Sensit Carmaniola se suis artibus petitum: solutisque repente ordinibus, quam maxima potuit celeritate e conspectu hostium se proripuit. Percrebruit rumor, illum, mille & amplius equitibus amissis, Tollentinatis opera servatum. Nec multis interjectis diebus, quum Veneti in Cremonensi stativa potius quam castra haberent, securiusque prædam late ageant, Lodovicus Columna, quem ad urbis præsidium missum diximus, palantes equites circa Padi ripam adortus aliquanto minoribus copiis, Venetum fudit fugavitque, trecentosque ademit equites. Sed de hac secunda clade

apud

Bellum cir-
ca Cremo-
nam cum
Philippo re-
natum.